



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

XVI. De pace violata in vrbe regia. Ll. Sax. cap. 36.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

se, ipse primus in quatuor templis eius rei fidem iureiurando firmato, tum alter (si se criminis suspicione liberare voluerit) in duodecim templis id facito.

XV.

Si quis coram senatore regio in frequenti plebis concione dimicarit, tum capitis æstimationem, tum multam, prout æquum fuerit, præstato: & senatori 120. solidos numerato. Qui coactam populi concionem armorum extractione commouerit, dato senatori 120. solidos. Hoc ipsum si præsentem alio quocumque in locum eius substituto, aut coram sacerdote regio euenerit, 30. solidis culpa pensator.

XVI.

Pacis in vrbe regia violatæ pœna 120. solidorum esto: in vrbe archiepiscopi 90. solidorum: in vrbe episcopi aut senatoris, 60. solidorum censeatur. Pacis violatio in villa hominis 1200. solidis æstimati, 30. solidis pensator in villa eius qui 600. censeatur solidis, 15. solidorum solutione sarcitor. Qui pagani sepem perruperit, 5. solidis multator. Si tale quidpiam in profectioe militari, aut tempore quadragesimæ delinquitur, duplo compensator. Qui tempore quadragesimæ velum sacrosanctum venia non impetrata coram auulserit, 120. solidos dato.

Quadragesima.

XVII.

Qui terram habuerit per scripturæ seriem sibi a maioribus relictam, ab heredibus ad alios alienandi potestas ei non esto, si quidem præsentibus cognatis coram rege, aut episcopo, scriptura aut testimonio probetur, omni alienatione ei interdixisse illum qui prius concessit, talemque ei imposuisse legem cum primo dederit.

Prisca episcopi reuerentia.

XVIII.

Hiscie diebus sequentibus festa liberis & ingenuis omnibus licentia conceditor: seruis autem atque iis qui sunt legitima officiorum seruitute obligati, non item. Duodecim dies a festo natali Domini. Dies ille quo Christus subegit diabolum. Dies quo agitur anniuersarius beati Gregorii festus. Dies ante festum paschatis septem, & totidem dies festum illud insequentes. Dies festus beatorum Petri & Pauli. In autumno integra quæ est ante festum Mariæ septimana. Dies festus omnium sanctorum.

Concil. Tom. 24.

Zzz ij